

C

CAb, id est, aurum.

Cabala, Cabalia, Ars Cabalistica, est scientia occultissima, quæ diuinitus vna cum lege Mosis tradita fuisse fertur, quæ nobis Dei doctrinam de Messia patefecit; cum angelis amicitiam cultoribus suis contrahit; rerumq; naturalium omnium cognitionem tradit, ac diuino lumine mentem pulsas tenebris illustrat. Vox est Hebræa, Latine dicitur Receptio: quod vna cum lege, quam postea scriptam populo tradidit, secretiorem quoq; & veram legis Enarrationem Mōses in monte diuinitus acceperit, quam scribere nefas erat: Sed ordinariis reuelationum successionib. alter ab altero, q. hereditario iure reciperet, neque prophana multitudo diuina mysteria cognita vilescerent aut violarentur. Persæ fuerunt diligentissimi huius cultores: vt patet ex appellatione suorum sapientum. Magos vocant suos sacerdotes & arcanorum peritissimos viros, quales fuerunt illi tres, qui Bethlehemum ex Oriente Christum adoratum venerunt, & non reges, vt stultum vulgus hactenus existimauit. De hac multa Reuchlinus nostras, & Picus Italus Mirandulæ Dominus, & Petrus Galatinus copiosissime scripserunt. Quin idem Galatinus asserit, veteres Rabinos per hanc Cabalæ scientiam Trinitatem Christumq; Dei Filium agnouisse.

Non igitur stulta est multorum opinione ars, sed potius scientia certa & cœlestis, per quam Theophrastus, vt de se ipse scribit, Dei beneficio doctrinam suam consecutus est, neq; a spiritib. malis quidquam habuit: quare falso hac calumnia ab inuidis grauatur. Hoc tamen concedo, etiam hanc scientiam apud multos in abusum deuenisse, veluti alias quoq; artes.